



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

XIII. Iac. Sadoletvs Cardinalis Lazaro Bonamico S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

Ita patuit mihi animus tuus, & vera visa est gratulatio, quae
 ab optimo animo profecta est. Itaque te plane existimo hoc ho-
 nore nostro vehementer esse letatum. Qui quidem honos uti-
 nam sit eiusmodi, ut ex eo ego, & Christiana Reipub. (sicut tu
 sanctissime atque amicissime optas) prodesse possim, & doctis
 viris & probis viris, in quos mea semper fuit propensa & est volun-
 tas. Sed vereor ne quod pie volo, id re praestare minus idoneus
 sim. Non enim ea virtus in me, neque ea est doctrina, quam tu
 fortasse arbitraris. Sed cum ad praepotentem Deum & tu om-
 nia referas, & ego ad eundem confugiam: spes est, si is nobis
 fauerit, fueritque adiumento, aliquid aliquando nos effecturos
 esse, quod ad illustrandam ipsius gloriam, & ad aliquod commo-
 dum Reip. pertineat. Verum hoc, ut illi fuerit placitum. Ego &
 gratulationem tuam gratissimè accipio, & te in suscepta erga me
 benevolentia capio permanere. Quod ut constantius facere de-
 beas, pari ego te compensabo voluntate. Vale. Idibus Ianuarij, M.
 D. XXXVII. Roma.

XIII.

IAC. SADOLETUS CARDINALIS

Lazaro Bonamico S. P. D.

Plas abs te acceptis commendatitijs literis, iis quos mihi
 commendaueras, & vultu & verbis ostendi, quantum valeres
 apud me tua commendatio. Atque illi cum adissent me primò,
 respondentique tulissent, tua me causa omnia quae ex me vellent,
 libenter esse facturum: cum reuersi postea non sunt. Credo, quòd
 me vidissent, & sese noscendos mihi obtulissent, satis putasse im-
 prudentia se esse consecutos: redituros, cum opus fuerit. Tu verò
 ita constitue de me, & tibi ita persuade, quicquid tua agere causa
 contigerit mihi, id gratius mihi semper futurum, quam tibi ipsi.
 Secuta sunt postea tuae gratulatoriae literae, qua Deus bone elo-
 quentia: qua copia, quibus ingenij, & amoris referre lumini-
 bus: quae cum mihi redderentur, calus interuenit mirificus. Era-
 mus enim in senatu, & prope me amplissimi viri Contarenus
 & Polaris: a quibus lectae, laudataeque mirabiliter. Farnesio le-
 ctissimo adolescenti deinde sunt traditae, qui postmodum domum
 mihi eas remisit. Ad eas quemadmodum debeam respondere ego
 plane ignoro. Video enim te tantum permittere amori, ut ex iu-
 dicio tui, alioquin recti & boni, regionibus, non parum egre-
 diaris. Tunc tanti me facis, & visque eò de me bene existimas, ut
 fluxus magnum aliquid ex me commodum Christianae posse
 exire Reip. Utinam hoc ita esset. Essem enim & fortunatior
 mihi ipse, & certe amicis tibi orator. Quid enim est quod
 magis

magis cupiam in vita, quam huic tali tuo de me iudicio fatiscere: Quod si tu de voluntate mea ita iudicas, nihil profecto laboris. Sin autem de facultate: quid, queso, tantum est in me virtutis & sapientiae, ut huic muneri obeundo egregie aptus sim? tamen cum voluntas sepe si acriter sit incesca, inuenire sibi viam ad res gerendas possit, dabo equidem operam, ut si non contingat aliqua ex parte opinioni tuae industria mea respondeat. Quod de Paulo Tertio optimo maximoque Pontifice & scientis praestantissimo Pontifice in Kemp. introductum est, vel retocatum potius ex ipso more maiorum, & longo intervallo repetitum in mandandis honoribus non gratia, sed virtutis ratio habetur. Quod in meis Collegis maxime patet. Quis enim est eorum singularibus atque eximiiis virtutibus ornatus & praeditus? quorum ego numero vti nam ad scribi dignus essem: conlataque me summi Pontificis iudicium, sicut in aliis constitit, qui me ab eo sunt in hunc amplissimum ordinem adlecti. Sed (ut paulo ante) hoc diligentia vtar maiore, quod ingenio imbecillissimum. Tibi porro quid ego scribam? nisi & agere me tibi gratum qui tantopere meo honore gauisus sis, pristinumque tuum morem erga me, omni mihi tempore probatum & perspectum, etiam in re totum exposueris atque ostenderis: & tibi polliceor meam illam benevolentiam, qua te semper mirifice sum complexus, non modo stabilem & saluam consistere apud me, sed etiam etiam, quam antea, aliquantulo auctiorem. Si quidem magis ex parte spes laetius traducenda vitae in hoc ipso honore, quam hi caetero qui grauem seruitutem affert, in eo mihi postea amicis & familiaribus meis, in quibus tu principem penes habere obtines, & laetitia potero esse & commoditati. Vale. XV. Calend. Februarij, M. D. XXXVII. Romae.

XIV.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS
Augustino Beariano S. P. D.

ELEGANS tuum carmen mira quadam suauitate me delectat: vel propter lumina ingenij, quae in eo multa extant, ob memoriam nostrae mutuae benevolentiae dulcissimaeque consuetudinis, quae nunquam mihi quidem ex animo lapsa est, nunc grata recordatione repetitur. Quod gaudeas honore tuo mihi nouum est, neque inopinatum: eodem enim tempore tuo ipsius honore letaris. Quid enim est amicitia, nisi communitio rerum & secundarum, & aduersarum? Vti nam modeste eundem sint, per quas auulsum me a rebus mihi iucundissimis